

eorumque Dominis et possessoribus quicquam praejudicetur; sed omnia salva et integra Regno et iis quorum interest permaneant; humillime supplicant Status et Ordines.

*Commissarii pro negotio Valachorum in Slavonia et Croatia peragendo nominantur.*

#### A R T I C U L U S 24.

Pro negotii Valachorum in Slavonia et Croatia existentium, executionis et effectuationis complemento; ad Commissionem juxta moderni temporis rationem et benignam suae Majestatis superinde, novissime sub hac diaeta factam resolutionem peragendam Status et Ordines nominant Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Joannem Telegdy Archi-Episcopum Colocensem, vel Reverendissimum Dominum Georgium Draskovith Episcopum Quinque-Ecclesiensem, juxta suae Majestatis placitum, pro Praeside: Ac Spectabilem et Magnificum Dominum Ladislaum Cháky, Generosos item Stephanum Sárkány et Valentinum Horvath, pro Commissariis.

*De Banali autoritate in integrum restituenda: Erroribusque et injuriis per Capitaneos et milites Confinarios commissis et illatis corrigendis.*

#### A R T I C U L U S 25.

De Banali autoritate antiqua in integrum restituenda et illibate conservanda, quomodo nam sua Majestas se ipsam resolvere dignata sit; Status et Ordines humillime intellexerunt; Sperantes deinceps omnem superinde conquerendi materiam amputatum iri.

§. 1. Statuunt igitur; ut Conditio septima superinde stabilita et Articulus 11. Anni 1608. ante Coronationem editus, in eademque conditione citatus et Anni 1609. Art. 27. Item 1618. Art. 31. cum effectu observentur.

§. 2. Reliqua quoque Statuum et Ordinum Regnorum Croatiae et Slavoniae gravamina, quae juxta Constitutiones publicas, hactenus superinde sancitas, necdum forent effectuatata; ut optatum ad effectum deducantur:

§. 3. Sed et Capitanei et alii Officiales militares in Croaticis et Slavonicis Confiniis constituti, per quos gravissimae injuriae Regnicolis illatae esse commemorantur; ut in ordinem redigantur et juxta benignam suae Majestatis superinde resolutionem, comperta rei veritate, condigna castigatione errores ejusmodi emendentur; renovantur Art. Anni 1618. Art. 33. et Anni 1622. Art. 49.

*De celebratione Judiciorum Octavalium.*

#### A R T I C U L U S 45.

Circa administrationem Generalium et Breviorum Judiciorum Octavalium, tam in superioribus Regni partibus, in Civitateque Eperjes celebrandorum; quam vero